



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Quæst. I. Deturne verum in Deo potentiæ intellectualis prædicatum ab
intrinseca scientiæ, siue intellectionis diuinæ possibilitate formaliter &
metaphysicè diuersum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

ergo ceteris non paribus potest non esse in perfectione supra materialem: inde omnia nunc. Secundo vel prædicatum substantiæ spiritualis de se habet titulum excessus supra materialem, vel non, sed ex prædicato alio. Si primum sit erit prædicatum illud ad inferendam intellectum contra te, si id habet ex alio prædicato, ex illo quidem non est prædicato substantiæ spiritualis intellectum inferetur. Quod si (ut ipse postea assumit) nihil aliud esse potest hoc prædicatum, per quod ceteris materialibus superet substantia spiritualis per excessum, nisi prædicatum intellectui ex intellectu intellectum (idem enim per idem) male probabit, ut ipse in Thomistis reprehendit. Ad hæc, ut spiritualis substantia ceteris, ut hic ait, paribus, sit talis per excessum respectu materialium, sit est conceptus solus substantiæ spiritualis, ex quo habet impenetrabilitatem, & immaterialitatem. Deinde S. Thom. cuius rationem Quiros tuetur, non fuit spiritualitatem, seu immaterialitatem per excessum, imo nec pro stricta spiritualitate, sed pro immaterialitate, quæ in omnibus cognoscitiis etiam brutis materialibus reperitur.

5. Ex his sane constat, quam infirme ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis, substantialis etiam, prædicatum intellectui, seu scientiæ vniuersim, atque è summa spiritualitate prædicatum summe intellectui, seu scientiæ in Deo probetur: multaque in D. Thom. reuerenti, & fide opus fuisse subtilissimo nostro Molina, ut satis probabilem discursum diceret, & crederet, sicuti, & Valentia 1. part. d. 1. qu. 1. & Quiros supra: idque certum nunc est: cum discursum, ut ab aliis S. Th. intelligitur, necque effugis, ac difficultatibus patet, longè à demonstratione esse. Quin Okam, Gabriel, Bassolis, Gregorius de Arimino in 1. d. 35. & quod plures est, doctrinæ D. Thom. additiuam nostri Puente Hurtado manuscripto de scientia, & Arriaga 1. part. d. 15. sect. 1. sub sect. 1. omnino cum eueniem, & inefficacem iudicant. Et sane, si eo modo, quo maiorem illam S. Thom. primo probabamus, eius doctrinam intelligatur, non assequor eius discursus probabilitatem. Scio Gasparem de Ribadeneyra, citato loco satis acutè interpretari S. Th. ut immaterialitatem, atque à materialitate abstractionem pro perfectione rerum, seu materialium, seu spiritualium vsurperet: atque inde pro maiori cognoscitui immaterialitate perfectionem vim cognoscitiuam, & cognitionem, & pro summa in Deo summam rectè colligi à S. Thom. putat: atque eandem esse hanc demonstrationem cum illa, quæ à summa Dei perfectione summa Dei scientia demonstratur.

6. Sed neque huic discursui acquiesco. Primo: quia est immaterialitatis pro perfectione, & immaterialis pro perfectio vsurpatio, valde æquiuoca voce, & quæ diffcultat rem nobis significet, de se apparet: cum directè, & propriè immateriale independents à materia, seu quid simile significet: perfectum autem nonnisi analogicè, & improprie per quandam nimirum analogiam satis obscuram, & diffcultem, ut videre in hoc autore est, s. 2. effectum autem vitium non leue, S. Th. si ad demonstrationem terminis in sensu improprio, & analogico vteretur, non autem in sensu proprio: maxime, cum terminus proprius ad perfectum, seu imperfectum significandum, si id significare vellet, ipsi suppeteret. Secundo: Constantè S. Thom. ex rerum immaterialitate, & earum à materia abstractione earum probat perfectionem: si autem idem immaterialitas, atque perfectio in eius phrasi significet: idem per idem vitiose probabit. Tertio demum, ut ij Recentiores auct citato s. 2. n. 28. illud, quod ait in hoc discursu S. Thom. nempe: secundum modum immaterialitatis, seu perfectionis, verum esse modum, seu mensuram cognitionis, non ita intelligendum est vniuersim, ut quicquid aliqualem habet perfectionem, aliqualem etiam habeat cognitionem: est siquidem aperte falsum: cum nihil sit, quod aliqualem non habeat perfectionem, & plura cognitionem, ac vim cognoscitiuam non habeant: sed ita, ut in his, quæ cognoscitiua sint, maior, vel minor perfectio, seu immaterialitas mensura sit maioris, vel minoris virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis. Ex hoc autem inferitur manifestè ex immaterialitate, seu perfectione etiam maiori, & maiori, imò & summa prædicta non colligi maiorem, vel summam, imò neque vll-

lam vim cognoscitiuam, seu cognitionem: siquidem vis cognoscitiua aliunde supponenda est, ut ex perfectione rei, virtutis cognoscitiuæ, & cognitionis magnitudo taxetur: nec satis ut perfectio rei per te ad eas inferendas. Tædet in quæstione inutili plura proferre.



DISPUTATIO II.

De his, quæ diuinam scientiam verè præcedunt.

Nihil Dei physicè naturæ, seu originis prioritate tanquam effectum productum verè, & physicè absque rationis figmento eius scientiam in Deo præcedere, tam certum est, quam nihil commune in Deo diuinum, siue ab aliis Deo intrinsecè physicè distinctum esse: eiusdem quippe ad seipsum realiter realis, physicus ordo, prioritate, & posterioritas vera esse minime potest: ut ex terminis patet. Ideo de præcedentia vera, etsi non physica, potentia intellectus diuinæ respectu diuinæ intellectus tanquam termini, & quasi effectus solummodo intentionalis quæritur: an ea omnia, vel aliqua saltem, quæ creatæ scientiæ in nobis præcedunt, in creatam etiam antecendant cognitionem? Ea vero sunt potentia, habitus, species, seu obiectum. Ut autem, metaphysicus adhuc ordo prioritatis, & posterioritatis, physici ordinis ad instar, & imitatus, poni à nobis in re eadem rationabiliter possit, requiritur, ut rei eiusdem prædicata metaphysicè diuersa sint. Sicut enim, nonnisi irrationabiliter, & implicatoriè eiusdem realiter ad seipsum ordo prioris, & posterioris realis, & physicus admitti potest: ita eiusdem ad seipsum metaphysicè metaphysicè prioritatis, & posterioritatis ordo, nonnisi stolidè potest admitti: utriusque vero ratio est: quod in nulla linea, seu statu rerum idem ad seipsum ordinari concipiunt prius adhuc, sine implicatione potest. Scaturit vero metaphysica prædicatorum rei eiusdem constantia, & diuersitate metaphysica locus quæstioni est: an eorum alteri alterum metaphysicè præcedat? sic statuta constantia, & metaphysica diuersitate prædicatorum entis, siue substantiæ à se, cognitionis, volitionis, immensitatis in Deo locus quæstioni est: quodnam eorum alij, vel aliis metaphysicè præceat? ac proinde essentia metaphysicè loco habendum, ponendumque sit: ita, ut cetera ipsum tanquam passionem metaphysicè, & eius attributa metaphysicè sequantur. Primo igitur examinandum hic erit, detur in Deo potentia intellectus prædicatum à prædicato intellectus, huiusque intrinseca possibilitate formaliter metaphysicè diuersum? Secundo an detur in Deo vera & formalis ratio obiecti? Tertio an in ipso vera habitus intellectus ratio inueniatur? Quarto an vera ei ratio addit speciei intelligibilis? Hæc enim omnino sunt, quæ nostram scientiam antecedunt, ex quibus tandem quintò eorum, quæ in hac scientiæ, & intellectus lineæ in Deo esse comperiantur præcedentia, vel subsequentiò facile definiuntur.



QVÆSTIO I.

Detur in Deo verum potentia intellectus, prædicatum ab intrinseca scientiæ, siue intellectus diuinæ possibilitate formaliter, & metaphysicè diuersum?

INTRINSECAM rerum, seu prædicatorum possibilitatem voco non repugnantiam, seu repugnantiam in sui existentia exclusionem, quæ in

eorum quovis intrinsece reperitur potentiaque eius logica vulgo nuncupatur, nullique rei, siue prædicato vero, ac non chimærico, & ficto deesse potest. Vnde à rei, vel prædicati cuiusvis actui ad potentiam, logicam scilicet, valere infallibiliter consequentiam certissimum, ac Logicis etiam vulgatissimum axioma est. Quare statuta semel diuinæ scientiæ, & cognitionis existentia, quam d. i. demonstrauimus, de eius potentia logica dubitari à nullo cordato potest. Idcirco de potentia intellectuali, à potentia hac logica, & intrinseca diuinæ intellectiōis diuersa nostræ questionis titulus inquiritur: quæ nimirum non sola intellectiōis, seu scientiæ diuinæ possibilitas sit, sed intellectiua potentia, & facultas. An scilicet, quemadmodum in nobis non sola cognitio, & intellectiōis possibilitas, seu intrinseca eius potentia est, sed etiam intellectiua potentia, ita etiam eueniat in Deo?

CERTAMEN I.

Doctorem sententia, atque imbelles verosimilioris affirmatiuæ rationes.

1. Potentiæ intellectiue prædicatum à potentia logica, siue possibilitate intellectiōis diuinæ adhuc metaphysice diuersum constanter negant olim Aureol. apud Capreolum in 1. d. 3. q. 1. art. 2. Gabriel dub. 2. & 3. quam sententiam non mediocriter illustrauit Herize d. 2. c. 1. & 3. & post ipsum Albiz d. 2. sect. 3. num. 6. & sect. 4. Hemelmann t. 1. c. 3. d. 1. cap. 5. Ruiz d. 3. sect. 2. Petrus Hurtado d. 20. metaphys. sect. 2. Pasqualigo d. 19. sect. 2. Garþpar. Hurt. d. 1. diff. 1. Falsol. question. 14. art. 1. dub. 6. Salas 1. 2. tract. 1. d. 2. sect. 6. n. 37. & 34. Zuniga d. 2. de Trin. dub. 5. & 20. Sforza lib. 1. sue Theol. num. 40. Ribadeneyra de scientia d. 2. cap. 2. §. 2. Referuntur & ex antiquis alij, quorum ea in re mens satis est dubia. Refferri vero pro ea possunt quorquor Dei essentiam metaphysicam scientia, seu intellectiōe actuali constituunt, siquidem primum in omni linea metaphysica prædicatorum Dei actuale scientiam, etiam metaphysicè, fatentur: cum tamen potentia intellectiua à possibilitate, seu potentia logica diuinæ intellectiōis diuersa, si adit, (vt minimū) debeat metaphysicè in Deo præcedere. Idcirco Soar. d. 30. metaph. sect. 15. n. 4. & 9. potentiam intelligendi plusquam logicam intellectiōis ipsius diuinæ negare videtur: cum Dei essentiam metaphysicam intellectiōe constituat, sed tamen num. 12. & 13. concedit Deo vim intelligendi, & penetrandi objecta, quæ è suo conceptu vt sic significata, & accepta præcindit ab eo, quod sit actiua physice intellectiōis à se diuersa realiter, (qualis nostra vis intellectiua est) vel non sit eius physice actiua, sed ei realiter identificata. Hæc autem quomodo inter se, & cum opinione illa eiusdem Doctoris de constitutione metaphysica Dei per intellectiōem cohereant, videri alij.

2. Secunda, ac verosimilior nobis sententia est dari in Deo prædicatum potentiæ intellectiue à potentia logica, & intrinseca intellectiōis diuinæ, cui reipsa identificatur, metaphysicè, & formaliter diuersum ita Henric. 1. part. art. 36. qu. 1. 3. & 2. ad fin. Alen. 1. part. quest. 19. num. 1. Scotus in 1. d. 2. quest. 7. & 8. quem suauitatur schola, Durandus d. 35. qu. 1. num. 8. S. Thom. ibi qu. 1. art. 5. ad 4. ac 1. part. quest. 41. art. 4. ad 3. vbi ait: *Saluari in Deo rationem potentia secundum modum intelligendi.* Et qu. 1. de potentia dari in Deo aliquod principium sue operationis secus rationem. Quod vt disputationis præfatione notabamus fieri nequit, ni vera potentia plusquam logica intellectiōis in Deo admittatur, licet sola ratione, & metaphysicè ab ea diuersa. Et communiter Dominicanorum schola. Molina 1. par. qu. 41. art. 4. *Soluta rei*, & qu. 27. art. 5. d. 2. Valquez quest. 13. art. 2. num. 30. d. 60. cap. 1. d. 102. cap. 1. n. 1. d. 119. cap. 3. Arrubal. d. 28. c. 3. & 4. Ruiz d. 3. sect. 4. Smifing. tract. 3. d. 2. qu. 1. n. 13. Gilhus 1. par. lib. 2. tract. 1. cap. 12. tract. 2. cap. 4. Granad.

controu. 2. tract. 1. d. 1. num. 5. & 6. d. 3. sect. 2. Alarcon. sect. 2. d. 1. cap. 1. Tanner. d. 2. qu. 11. dub. 5. Soar. n. citato. Machin. Raynaudus, Luiz. Torrel. Ribus. Portugal. Fiorauante citati ab Hemelmann supra, quibus adde Marti. non 1. part. d. 13. num. 7. & Arriagam 1. par. d. 15. sect. 3. sub sect. 3. quos refert, & sequitur, quoad hoc prædicatum in Deo adstruendum, Quiros tract. 4. d. 25. sect. 2. num. 8. & quotquot huius prædicati veram, nec solum ratione nostra metaphysicam prioritatem respectu diuinæ intellectiōis cum ipso defendunt, quos infra referemus. Licet autem nobis vera, adeoque in scholis omnibus communis hæc opinio sit, non tamen ita firmis argumentis ab omnibus eius patronis suaderetur, vt eorum plura recitanda non sint, ne eorum infirmitas minorem de eius veritate pariat estimationem. Huiusmodi autem illa omnia sunt, quæ inde petuntur, quod scilicet in Deo sit ratio veri, & realis principij sue intellectiōis. Esti enim inde horum prædicatorum metaphysica diuersitas legitime inferatur. Est tamen antecedens hoc probatu longè, quam conclusio præfens, difficilis, vt patet de se, clariusque ex dicendis qu. 2.

3. Nec firmius arguitur. Deus intelligit: ergo potest intelligere: ergo habet potentiam intellectiua diuersam metaphysicè à potentia logica, seu possibilitate intrinseca actualis intellectiōis. Probatur consequentia siquidem ab actu ad potentiam legitima est consequentia per omnes, etiam summilissimas Dialecticos. Cæterum consequentia ab actu ad potentiam necessitas ad potentiam logicam, seu possibilitatem actus vi formæ solum esse facile dicitur; hæc ratione materiæ in actibus, seu entibus actualibus, quæ essentialiter à potentia aliqua dependent, potentia, & vis operatiua illorum sæpe etiam concludatur. Ad id autem supponi debet ea dependentia, quam in diuinæ intellectiōis à potentia intellectiua aduersarij negant. Imo de physica dependentia negant omnes, quare nihil siue ratione formæ, siue materiæ ea consequentia in re præfens concludit. An vero aliunde ex illo antecedenti Deus intelligit potentia intellectiua, nec solum logica intellectiōis, inferri in Deo aliunde possit, inferius videbimus.

4. Arguitur pro eadem sententia, sed robore non maiori. In Deo non est cognitio existentis, seu summi Petri, qui pure possibilis est: & tamen, si extra pure possibilitatis, ad statum absolute existentie aliquando extrahatur, vel extrahendus foret, cognoscere in Deo absolute existens, vel de præfens, vel de futuro: ergo est actu in Deo potentia ad cognoscendum Petrum illum, cuius actu cognitio non est: ergo potentia cognititiua Petri illius diuersa ex parte obiecti (loquor semper ex suppositione vere mihi sententia præcipientium formalitates ex parte obiecti rei eiusdem) à potentia logica, seu possibilitate intrinseca, seu non repugnancia diuinæ de Petro illo intellectiōis. Nam reuera actu potest cognoscere illum. Vnde & respectu omnium existentium contingentium, quæ de facto sunt eadem potentia in Deo conueniunt. Cum ea potuerint absolute non existerre: ac proinde, & actualis eorum cognitio; cum tamen Deo posse illa cognoscere, ac proinde, potentia illorum cognoscitiua, desicere nequeat. Cæterum responderetur facile primo: re quidem vera actu esse in Deo potentiam illam cognoscendi Petrum illum pure possibilem, existentem, cuius cognitio, vt existentis actu non est: sed illam potentiam esse ipsammet possibilitatem, seu potentiam logicam putam cognitionis illius, quæ suo modo, & statu absolute est, etiam, cum actu, & exercite cognitio illius non est: vt de omni ente pure possibili necessitatio fatendum est.

5. Secundo, & verius responderetur; quoad totam intrinsecam formalitatem cognitionis, & representationis formalis diuinæ cognitionis existentie Petri illius non existentis actu totam eius cognitionem esse: quia è conceptu cognitionis diuinæ, quævis formalitas diuinæ cognitionis infinita, etiam per denegationem termini extrinseci, actualis representatio, & cognitio est, vt inuicissim de omni prædicato diuino sæpe controu. 1. docuimus; quare omnium, quæ representari, cognoscique, pro quouis eorum statu, possunt, de se formalis, & actualis est representatio; licet eorum positio desideretur extrinseca, si creata objecta sint: cum atque hæc abest, non re-
præfens

præsentationis actualis intrinsecæ Dei, sed obiectorum defectus est. Vnde potentia, quæ ad illa representanda est, non est potentia ad cognitionem Deo intrinsecæ, sed potentia obiectorum ad existendum, siue eorum contingens possibilitas. Mitto alia, quæ ex dictis, atque itatim dicendis facile infirma aperte cuius apparebunt. Probatur alij, quia datur in Deo vera ratio obiecti suæ cognitionis: ergo, & vera ratio potentia. Probatur consequentia: quia non minus importat ratio obiecti in creatis distinctionem, & influxum in sui cognitionem, quam ratio potentia respectu cognitionis ipsius eadem importet. In primis antecedens dubium est negantibus nonnullis cum Herize vt q. vltima videbimus. Secundo in plurium opinione ratio obiecti, adhuc in creatis, non dicit influxum vim in cognitionem, sed solam determinationem potentia, atque terminationem cognitionis: quod nec dicit posterioritatem, aut prioritatem realem obiecti, & cognitionis: cum nec respectu actionis, & termini eam dicat: quandoquidem actionem cum termino, & effectu suo sæpe identificari plures docent. Possent autem identificari nullus negat. Tercio posse dari (imo & de facto dari) cognitionem creatam sui ipsius representatiuum de visione beata plures asserunt, & noiter Martinon. i. par. 4. q. sect. i. num. 7. cum quo alij ex nostris Recentiores omnem cognitionem, sui ipsius experimentalem cognitionem, & representationem esse docent: ex quo constat, quam dubio antecedenti hoc argumentum imitatur, quamvis veræ nobis adhuc eæ solutiones non sint. Veritas tamen facillime respondetur: rationem formalem obiecti, vt sic, non dicere distinctionem, & influxum respectu suæ cognitionis, vt contra Herize, qui vltima edicendum; dicere autem vtrumque potentiam cognoscitivam vt sic. Cuius oppositum probandum, contra aduersarios erit alia ratione, quam dabimus cert. 4. non autem à paritate petita ex obiecto.

CERTAMEN II.

Solidiores affirmatiue nostræ sententiæ probationes.

1. Præfaram sententiam docuisse in primis videtur Anst. i. ethicor. cap. 8. med. vbi, ne Deus dormiens, aut mortuus cogitur, ait vivere, atque adeo in seipso operari debere cum autem actio, & operatio physica (sibi enim de personalibus productionibus naturalis, ethiceque Philosophus cogitabat) intrinsecæ in Deo admitti nequeat, quidnam (inquit ille) aliud præter contemplationem refert? quare Dei operatio præcellens beatitudine contemplatiua siue controuersa erit. Vbi autem propria operatio est, & potentia ad operandum eiusdem generis, & ordinis esse debet. Mera enim rei possibilitas, non ad illam operandam, eiusve operationem est, sed solum ad eius esse, siue existentiam sine repugnantia. Sed de hoc loco iterum quæ 2. Mitto Iustinum Martyrem quæ 3. ad Græcos aientem: quia differentia est potentia ad actum, ea est voluntatis diuina ad ipsum velle: quia, licet Recentium solutio, & interpretatio non placeat, vt statim famibus Nysseni verbis applicata displicebit; tamen hoc opus Iustino impositum magnis fundamentis ostendit Cardinalis noster Bellarminus de scriptorib. Eccles. circa annum quingagesimum.

2. Sed audiamus Nyssenum de opificio hominis c. 5. in hæc scribentem. In natura diuina mens est & sermo. Consistentem his quiddam est in homine: Nam in te ipso animaduertis, & sermonem esse, & vim intelligendi; quæ sunt vera illius mentis, & sermonis imago. Nec valet loqui de mente, quæ sit verbi, seu sermonis increati, quæ secunda est Trinitatis persona, notionalis potentia: loquitur enim de mente, quæ est vis intelligendi, seu intellectiua propriè: quæ quidem, nec respectu verbi erit talis, si sola intellectio in Deo sit: quæ mens quidem nominis improprie, & abusive dicitur, licet potentia notionalis dici possit. Neque enim mens, & intellectio synonyma nomina sunt: quare in significatione propria, de eadem metaphysica formalitate obiectiua in sententia

obiectiuarum præfationum, quam supponimus, verumque dici minime potest. Ad hæc, vt mysterium suadeat diuinarum processionum assumit, quod in intellectione, & mente, quæ talibus, non autem, vt notionali potentia, & processionem contingit; ne idem per idem suadeat, nec re dubia doctrinam Catholicam confirmet: cum dubium sit in nobis verbum à formali intellectione diuersum, cum intelligimus, produci; certum autem ex mente produci intellectiorem: ex quo aliquid à Deo ex mente produci interius posse suadet. Nec satis est, quod respondebant Recentiores Iustino: nempe loqui de distinctione mentis à cognitione secundum nostrum modum intelligendi, & significandi, non autem ex parte obiecti. Etenim Nyssenus expresse duo illa mentem, & sermonem, seu cognitionem in natura diuina esse facit, ad cuiusque instar in nobis: quare non in solo nostro concipiendi modo, sed in obiecto ipso eorum ponit metaphysicam diuersitatem.

3. Probatur vterius. Quia intellectus, & voluntas frequenter in Scriptura, & Patribus Deo tribuntur, quæ sunt synonyma intellectiue potentia: ergo hæc proprietate sermonis est in Deo admitenda diuersa metaphysice ab intellectione. Antecedens patet ex Cyril. i. thes. fin. & i. in Ioan. cap. 5. post med. Damasc. i. fid. disp. 15. sub med. Euseb. Cæsari. i. præparat. cap. 10. ac mentis nomine præter datum Nyssenum Dionys. 7. de diuin. nom. circa med. Iren. lib. 2. cap. 48. init. præter eos, qui verbum ex mente Patris procedere dicunt apud Ruiz disp. 2. de Trin. sect. 2. & apud nos disput. 3. & 4. de Trin. insuper August. & alij ex memoria fecunda Patris. Denique 6. Synodo sæpe, & in epist. Agathonis art. 4. duplex in Christo voluntas, duplexque operatio diuina scilicet, & humana definitur. Ac Iulianus Martyr, & alij voluntatem ab actu volendi in Deo, formaliter distinguunt ex quo ad intellectum, cuiusque actum euident est consecutio. Vnde constat, quo iure Ruiz d. 3. de scientia reuerentis notet Aureolum, quod potentiam intellectiui in Deo absolute negat. Nec satis his locutionibus potentia intellectiua, siue intellectu virtuali, qui talis absolute, & simpliciter non est, nec dici potest, sed cum suo addito virtuali, quod à Patribus non apponitur. Nec magis præstat intellectus, & mentis nomine potentiam logicam intellectiouis significari, vt statim ostendam cert. 3. ostendimusque. Consequentia quoad proprietatem acceptionis contabit certam. 3. vbi ostendimus è propria eius vocis acceptione nihil absurdi Theologi inferri: inde autem eius ab intellectione obiectiua metaphysica diuersitas probatur: quia, vt nuper dicebamus, intellectus, & intellectio proprietate sermonis synonymæ voces, & conceptus formales non sunt, sicut gladius, & ens: ergo diuersum habent significatum proprium, quod menti, & audienti obiciant (in opinione præficientium obiectiue, in qua disputamus) vel idem sub diuerso respectu, & connotato, in præficientibus solum formaliter, quod satis ad diuersitatem prædicatorum in horum opinione est. Nec satis est intellectum nonnunquam in Scriptura pro actu usurpari, vt cum Regius Vates sæpe à Deo exposcit: da mihi intellectum: quibus non facultatem, & potentiam intellectiui perit, sed intellectiorem. Primo enim ibi intellectum improprie pro intellectuone usurpari ratio cogere, si ita acciperetur: quæ in casu presenti non adest, vt videbimus infra, ac proinde propriè est ea vox accipienda. Secundum nec David intellectiorem nomine intellectus improprie accepto à Deo petit. Si quidem illum petit, vt feruetur, & consideret Dei mandata, legem, & mirabilia tanquam medium, & facultatem ad ea habenda. Petit ergo intellectum, idest ei modi potentiam à sacculi erroribus, passionibus, vanitatibusque expeditam. Potentia enim impedita perinde est, ac si non esset. Vnde delirio occupatos amantes, idest sine mente esse vulgo dicimus.

4. Stat rursus hæc eorum prædicatorum diuersitas ex illo ad Ephes. secundum propositum voluntatis: hæc vbi propositum significat Dei volitionem, hæcque dicitur esse voluntatis diuine: ergo diuersa formalitas est, & significatur nomine voluntatis, cuius volitio, & propositum est, à volitione, quæ illius est, & propositi nomine significatur. Neque enim nisi inepte sui ipsius aliquid esse dicitur, sed esse idem ipsum. Respondent Recentiores primo

ORTEGA
In a pari
D Via

primo diuersitatem ex nostro modo concipiendi satis ad id fore, licet nulla sit ex parte obiecti, seu significati diuersitas. Sed contra quia iuxta hanc solutionem ensis idem gladij eiusdem significati dici recte poterit, quod est ridiculum. Respondetur secundo: Illud *propositum*, non significare dilectionem Dei necessariam, sed liberum Dei decretum: sed quid inde an respectu decreti, seu dilectionis liberæ Dei admittitur potentia, & voluntatis ratio siue formalis, siue virtualis? hæc nequit esse volitio necessaria: ergo aliud prædicatum est in Deo voluntatis, quæ formaliter metaphysicè volitio non sit. Secundo in verioribus principiis quiddam volitionis diuinæ formalis in decretis liberis Dei est, formalissimè, & indiuisibiliter in volitione Dei, qua in se necessario fertur, est: cum sit infinita è suo conceptu per denegationem termini, etiam extrinseci, sicut reliqua omnia prædicata diuina: quare, si ad volitionem liberam, qua volitio est, admittitur potentia volitiua, nequit non ad volitionem necessariam assignari. Illa enim ipsa volitio Dei necessaria respectu sui, libera est respectu creaturarum: omnem quippe volitionem, volubilium, pro cuiusque dignitate, & pro modo necessitatis, seu libertatis in se continet: eisque è suo conceptu indiuisibili omnivolitio, sicuti & scientia Dei est omni scientia. In eoque est libertatis diuinæ ineffabile mysterium, nusquam pro hoc statu satis explicandum, imo neque aliquid sequendum: quod scilicet sine additione illa volitionis supra eam, qua se necessario amat, alia præterea à se libere nolit, aut velit. De quo plura (pro nostro tamen modulo) controu. 4. tomo secundo.

CERTAMEN III.

Ultiores à ratione probationes.

1. A ratione probatur eadem sententia primò. Quia Deus proprietate sermonis verè, formaliter, & propriè est potens intelligere: ergo habet potentiam intellectiua. Probatur consequentia. Quia effectus formalis nequit alicui adesse siue forma: aut forma huius concreti, seu effectus formalis, *potens intelligere*, est potentia intellectiua: ergo nequit proprietate sermonis Deo adesse, nisi ei potentia adit intellectiua. Dices, ut supra aiebas concretum hoc potens intelligere satis constitui potentia logica, siue possibilitate intellectiua. Sed contra: quia, ut diximus supra, potentia logica, siue possibilitas tantum est potentia essendi in se illud ipsum, cuius potentia logica, siue possibilitas est; non autem potentia ad operationem, siue physicam, siue intentionalem, siue grammaticalem: ergo nequit constituere potentem intelligere, quod est aliquo ex his modo operari. Antecedens: quia intellectio nostra è sua possibilitate nequit dici potentia intellectiua, neque ab illa constitui proprietate sermonis potens intelligere, adhuc grammaticali operatione intellectiua. Alioquin nos duplicem intellectiua potentiam, intellectum, & mentem, ac duplicem etiam voluntatem proprietate sermonis haberemus. Quod absque propria stoliditate, & alieno risu dici nequit. Dices intellectiua nostram esse necessario operationem physicam, vel illam supponere: quare, & potentiam physicam operatiua: quod nequit esse potentia Logica, seu possibilitas intellectiua ipsius, cum nequeat sui ipsius physica operatiua potentia esse: ac proinde in creatis nequit constituere potentem intelligere; secus ubi nulla alia potentia præter logicam est ad intelligendum, sicuti in Deo. Præclusi solutionem verbis illis potentia ad operationem adhuc intentionalem, vel grammaticalem.

2. Contra secundo: intellectio creata, qua intellectio physica operatio non est; licet quia creata physica operatio, seu effectus illam supponens sit: quare neque potentia creata intellectiua physice actiua erit, qua intellectiua formaliter, ut certam. 4. ostendimus. Tertiò. Si in creatis proprietate sermonis forma constituens id, quod propriè potens intelligere, dicitur, qua tale, est

aliud prædicatum potentia physice operatiue intellectiua, neque huius potentia Logica, siue intrinseca possibilitas sufficit, ut propriè loquendo potentem intelligere constituat in Deo, in quo potentia intellectiua diuinæ physice operatiua non est, prædicatum potentis intelligere proprietate sermonis admittendum non erit: sed hoc à Deo erit relegandum: quemadmodum & prædicata alia, quæ in creatis proprietate sermonis aliquid Deo impossibile significant. Audendum ergo necessitatio aduersariis erit à Deo prædicatum potentis intelligere reicere, & proprietate sermonis huius argumenti antecedens negare. Quod nescio an satis tutè negabunt, sine vilius Theologi scholastici exemplo; Imò contra receptam ab omnibus locutionem. Tertiò huius impugnationis robur exierit. Etenim, quia ratio potentia productiue physice in creatis proprietate sermonis concernit necessario in effectu physicam productibilitatem, atque causæ, & effectus realem distinctionem, ac proinde nec potentia Logica rei create satis est ad constituendum potentem rem ipsam producere: nequit Dei potentia Logica, seu intrinseca possibilitas esse, dicive potentia physice producendi Deum, ab eaque constitui Deus potens seipsum producere: ergo, si conceptus potentia intellectiua creata proprietate sermonis dicit vim physice operatiue intellectiua, ac proinde potentia logica, seu possibilitas intellectiua potentia intellectiua dici, aut potentem intelligere proprietate sermonis nequit constituere: nec potentia logica, seu possibilitas intrinseca intellectiua diuinæ potentia intellectiua Dei erit, neque potentem intelligere Deum proprietate sermonis poterit constituere.

3. Probatur secundo: quia Deus proprietates sermonis intelligit: ergo in Deo est id, quod intelligit, & intellectio, qua formaliter intelligens redditur: ergo potentia intellectiua. Prima consequentia probatur: quia de formalitate intellectiua solum est esse intellectiua, seu representationem formalem subiecti: intelligens autem vterius aliquid proinde requirit, quod physicè, aut metaphysicè ea afficiatur, aut informetur. Dices denominationes metaphysicas, & in concreto metaphysico significatas, quandoque eius abstractis competere, quin vili alia formalitas addatur ex parte obiecti, sed tota diuersitas sit ex parte modi nostri concipiendi, & significandi, ut patet in hoc nomine *entium*, & *ens*, substantiæ, & neutre sumpto, quod idem prorsus metaphysicè ex parte obiecti significat, ut controuers. 1. contra nonnullos Recentiores docebamus. Contra vero, quia id specialissimum est in eis concretis, & abstractis entis existentis, & quæ esse significant, & existere: neque in aliis viliis, quæ de formali operationem, adhuc grammaticalem, important (ut in nostro casu) simile aliquid reperitur: neque enim operatio physica dicitur absolute operans physicè, neque intentionalis operans intentionaliter, neque operatio grammaticalis operans grammaticaliter, ut notum omnibus est.

4. Ratio autem specialis nominum illorum, quæ esse, & entitatem, seu existentiam significant, ut idem omnino substantiua concreta, neque amplius, quam abstracta significant, est: quia formale significatum earum vocum adeo intrinsecum, & essentiale, ac necessarium ipsis est, ut sine eo esse, concipique nequeant: quare nec seorsim significari: cum autem insuper in re, & formalitate sua sint abstracta ipsa entitatis, & existentie, sintque rationes formales, & prime in linea formali essendi rei totæ, & cuiusque concretæ siue physice, siue metaphysice entis, seu existentie, se etiam ipsas denominant, atque concretè significantur sunt, & existunt: ne in infinitum formalitatem, seu formarum essendi, aut existendi progrediamur, atque ipsæ primæ formalitates essendi, ac existendi in linea formali esse definant. Sicuti, & operatio non solum effectus producti, sed sui etiam ipsius productio est, atque à seipsa denominatur producta: & præsentia seipsa suo spatio præsentatur ob rationem eandem, quæ in concreto intelligentis, & intellectiua nonnullam apparet. Iam vero admitta diuersitate formali metaphysica intellectiua, & eius, qui ea intelligit, in Deo, inserti in ipso prædicatum argumenti deducitur, ut secunda consequentia huius argumenti deducamus.

cedamus, probatur: quia, etsi per possibile, vel impossibile (iuxta varias opiniones constituentes intellectiōnem, vel in actione, vel in sola qualitate) Deus se solo intellectiōnem produceret, ac trunco vniuer, tamen non redderet trunco intelligens, ex eo præcisè, quod non haberet potentiam, siue capacitatem intelligendi: ergo ex parte subiecti denominandi intelligentis necessario potentia intellectiua, seu capacitas intelligendi supponitur. Confirmatur: quia sensationes materie primæ in vulgari, & vniuersali sententia subiectantur, quin eam sententiam reddant: quia capacitatem, seu potentiam sensitiuam non habet. Cum ergo Deus intelligens dicat ultra intellectiōnem subiectum ea denominatum, ex parte etiam huius dicit potentiam, seu capacitatem intellectiuiam, vt secundum consequentiam inferatur.

5. Probatur tertio: quia vt controu. t. d. 2. qu. 1. probabimus, essentia metaphysica Dei in prædicato entis à se adæquate constituitur: quod quidem est radix metaphysica, licet non physica, ceterorum Dei attributorum, ac proinde intellectiōnis diuinæ, quæ vnum ex diuinis attributis est: ergo & respectu huius præcedit metaphysicè saltem, & radix metaphysica est: ergo & est potentia intellectiua. Nihil enim nomine potestatis intellectiue, siue physice, siue metaphysice contendimus, nisi prædicatum, seu rationem, quæ & in Deo sit, & alterutro modo radix sit intellectiōnis. Secundum in sic præcedente metaphysicè essentia metaphysica Dei, seu Deitate, & Deo essentialiter metaphysicè constituto, est capacitas suorum attributorum, ac proinde intellectiōnis, & intelligendi, siue eam formaliter, & proximam, siue remotam, & radicalem appelles, siue potentiam, siue prædictam: quia, licet à potentia etiam formalis intellectiua præscindat, aptum tamen natum est proprio rationis posteriori intelligere, sicut esse æternum, immensum, & omnipotentem, &c. atque ea capacitas, & aptitudo est intellectiuitas diuina: atque ex alia parte neque est potentia logica, siue possibilitas intellectiōnis: hæc quippe intellectiōnis est solus possibilitas, seu capacitas essendi ei solum, quod possibile per ipsam formaliter metaphysicè, seu nostro intelligendi modo constituitur. Nihil enim aliud est, quàm non repugnantia essendi id ipsum, cuius possibilitas est non autè capacitas, seu potentia prædicta alterius, vt intelligat, vel opereatur, vt patet. Ex quo impugnata manet Recentiorum solutio: quod capacitas intellectiue, quæ est in essentia metaphysica Dei ad intellectiōnem (quod eius attributum est) secum identificatam, sit potentia logica, seu possibilitas intellectiōnis, licet in creatis, in quibus potentia, seu capacitas illa ad distinctam à se realiter intellectiōnem est, sit prædicatum diuersum.

CERTAMEN IV.

Quarta eiusdem sententia à ratione probatio ex prædicato viuens.

1. Varto arguo: quia Deus dubio procul viuens proprie dicitur sermonis est: sic enim sæpe de eo abloquitur Scriptura clamor: atque de ratione viuens est, quod sit operans in se siue physice, siue intentionaliter: ergo Deus est in se operans siue physice, siue intentionaliter: est nequit constitui principium operans alterutro modo per operationem, siue physicam, siue intentionalem: v. g. intellectiōnem, vel amorem: ergo præter hæc prædicata dari debet aliud, quo, saltem intentionaliter, principium eorum intentionale constituitur. Id autem ipsum est ratio intellectiue, seu volitiue potentie. Dices Deum dici viucentem propriissime vita omnino actuali, seclusa omni ratione vite potentialis, quod est genus vite nobilissime. Contra tamen: quia de conceptu vite actualis est esse operationem immanentem saltem intentionalem: atque operatio in nulla linea saluari potest sine principio, seu potentia: ergo datur in Deo prædicatum potentie, quæ principium intentionalis operationis, siue actualis vite intentionalis sit, vel neque vite actualis, seu Deus actu viuens proprie admitti potest. Nec locus est effugio illi aduersariis trito, & familiari potentie logicæ, seu possibilitatis intrinsecæ ipsius intellectiōnis, seu vite actualis

lis, quod sæpe præclusimus, vt patet. Dices Deum viucentem adhuc dici posse: quia processionem operationes vitales sunt, vt controu. de Trinit. dicebamus, verum conceptus viuens in Deo communis Trinitati est, nec solum personalis: esse autem viucentem non rationaliter personalis solum conceptus est, & proprius personarum producentium, non autem Spiritus sancti procedentis in Trinitate solum, nec producentis ad intra: quare hic viuens iuxta hanc solutionem non erit.

2. Respondent tandem Recentiores de conceptu viuens, vt ad Deum viucentem extendi potest, non esse rationem principij operationis in se immanenter: sed solius viuens creati, cuius vite, siue in actu primo, siue in actu secundo rationes omnes Deo adesse non possunt: in his quippe, & distinctio, & productio physica vite in actu secundo à viuente in actu primo, siue potentia vitali, reperitur: insuper esse accidens extra ea omnia, quæ in statu connaturali, & debito viuenti debentur: quæ omnia in Dei vita actuali per intellectiōnem, vel amorem deficiunt: quare mirum non est, si eadem deficiat potentiam, siueque principium supponere: quod & distinctiōnem ab eis operationibus Deo indignam dicit. Sed sic respondentes rogo: quidnam operationis vitalis adhuc intentionalis, seu vite actualis intellectiōni, aut amori relinquatur? Dicunt reddere intelligentem identice. Bene: ergo reddere æternum, immensum, omnipotentem identice satis erit, vt æternitas, immensitas, & omnipotentia vite actualis Dei dicatur, ac Deus per hæc æquè proprie viuere. Dicunt primo id admitti à nostro Martino Perez de Trinitate: verum satis non est solutionis probabilitati ab vno admitti, cuius oppositum reliquis Doctoribus, non modo non asseritur, sed, tanquam indubitatum supponitur potius, quàm disputatur: imo neque à sic respondentibus Recentioribus admittitur.

3. Respondent secundo, eas solum rationes, quas in viuentibus creatis vitam actualem esse nouimus vitam etiam actualem in Deo esse admitti debere, imperfectionibus semotis: eiusmodi autem esse intellectiōnem, & amorem, non autem præsentiam, durationem, aut potentiam operandi ad extra, eorumque productiones. Contra tamen est: quia, vel standum est prædicatis essentialibus vite actualis creatæ, vt in creatis essentialiter est, ad hoc vt in Deo admittatur: vel solum, vt est, esse in Deo potest. Si primum: Deus nullatenus est viuens, quod expressè Scripturæ repugnat. Si secundum: idem omnino reperitur in æternitate, immensitate, &c. ergo & hæc vite actuales Dei erunt, ac per eas Deus proprie constituetur actu viuens contra omnes (Martino Perez excepto) imo & contra Recentiores sic respondentes, qui in eo ab ipso dissentunt. Dices per nos etiam plura intellectiōni Dei deficere, vt vite actualis sit, si essentia vite actualis creatæ sit seruanda: quare vite actualis diuina alio modo esse per omnes debet: ac proinde argumentum de vite actuali æternitatis, immensitatis, &c. contra omnes est. Sed contra est: quia admissa potentia intellectiua intentionali intellectiōnis, & volitionis, harumque ab altera intentionali, licet non physica, productione saluatur præcipuus vite tam actualis, quàm potentialis conceptus, & ratio: scilicet posse in se immanenter operari intentionaliter, & operatio immanens intentionalis sine vilo incommodo, aut imperfectione Deo indigna, earum, quæ in alijs vite creatæ, siue potentialis, siue actualis conceptibus intercedunt: aut hoc prædicato etiam sublato ab intellectiōne, & volitione diuinis nullum aliud restat, ex quo ad vitam actualem possit spectare, & ratione cuius nequeant spectare ad vitam actualem diuinam æternitas, & immensitas. Quod si hæc etiam metaphysicè, & immanencia identitatis à Dei essentia, & natura metaphysica procedere dicuntur, vt à metaphysica sui radice, vera physica processio non est. Intentionalis autem respectu earum esse non potest sicut respectu intellectiōnis, & volitionis, quæ lineæ intentionalis sunt.

4. Dices tandem: totum hoc, vocibus quidem, plenum esse, re tamen, & ratione vacuum. Nam immanencia quidem identitatis in natura metaphysica, & essentia Dei, etiam æternitatis competit, & immensitatis: neque magis obueniunt Deo in naturali suo statu constituto intellectiō, & volitio omnium cognoscibilium, volubiliumque, quàm æternitas, & immensitas: cum ea omnia Deo physice æquè identificentur, æquèque necessario Deum metaphysicè

ORTEGA
IN A. PARI
D. VIA

taphysicè in sua essentia constitutum, metaphysicè etiam consequuntur: processio autem illa, seu progressio intellectio, & volitionis intentionalis vera, & plusquam metaphysica non est: quam etiam habent æternitas, & immensitas. Verum facile responderetur æternitatem, & immensitatem nostris durationibus, & localibus presentibus respondere: quæ suo conceptu, vitales, nedum intentionales actus, & operationes, non sunt, resque, qua entia sunt, & existunt, comitantur: quare neque gradum viuens consequuntur; sicut intellectio, & volitio: quæ licet æquè connaturaliter Deo physice identificentur, ac metaphysicè essentiam eius consequuntur; tamen ut operationes eius immanentes intentionales non proueniunt, sicut intellectio, & volitio, quæ post naturalem potentiam suæ lineæ illam consequuntur: in quo creatas omnes vitales operationes, quoad in Deo admitti potest, imitantur. Quod autem vera, nec solum metaphysica progressio eorum actuum sit, licet non physica, intentionalis tamen, videbimus qu. 4.

CERTAMEN V.

A ratione probatio vltima, & obiectionum solutio.

1. Vltima sententiæ nostræ probatio sit, quam Recens Theologiae auditor contra recens eorum Heretice efformabam, doctisque posthac placuisse video: quia prædicatum potentie intellectiue est perfectio sine imperfectione: ergo Deo concedenda. Antecedens, quod solum probatione eget, suadet. Duplex enim imperfectio in prædicato potentie intellectiue excogitari potest. Alterum, quod nature, & essentie diuinæ metaphysicæ potentie prædicatum superaddatur: quasi aliud quo, adhuc metaphysicè, ad has egere operationes. De quo modo non disputatur: an scilicet hac potentia ab essentia Dei diuersa metaphysicè egat Deus, necne? quamuis ex dictis d. 2. constet aliunde ad essentiam Dei metaphysicam non pertinere: neque id ex indigentia nature esse, sed ex metaphysica præcisione, ex qua neque alia attributa, sine quibus Deus re ipsa esse nequit, ad essentiam metaphysicam Dei expectantur: quia solum prædicatum entis à se, & primum est, & reliquorum metaphysica radix, ex qua discursu metaphysico per legitimam consequentiam inferuntur. Atque admittit in Deo vera potentia intellectiua, ab essentia eius metaphysica distingui debere censent Molina, Albiz, & Alarcon citati, Bail. leg. i. par. variat. qu. 8. schol. cap. 6. §. Ego vero, Granad. contr. i. tract. 2. d. 9. num. 2. & alij. Contra vero non distingui iudicant Salas, Arrabal, Gillius citati, & Recentiores alij: At licet nos primis contentiamus (vt dixi citata d. 2. & hic inferius) nunc tamen ea questione abstinemus.

2. Secunda imperfectio, (& cui maxime aduersarij insistant) est: eiusmodi potentiam intellectiuam, seu volitiuam physice actiuam sui actus, ac proinde ab eo distinctam esse debere: hanc autem imperfectionem potentie intellectiue, aut volitiue, vt sic, non conuenire, sed vt contracte per prædicatum potentie eiusmodi creatæ, sic ostendo. Intellectio, qua intellectio, actio physica, aut effectus physice productus essentia sua non est, alioqui intellectio, qua talis Deo repugnabit: ergo nec potentia intellectiua, qua intellectiua est physice actiua. Patet consequentia: quia potentia actiua physica essentialiter est ad physicam actionem, vel effectum: atqui intellectio, quæ intellectio, nec physica actio, neque effectus est: ergo potentia intellectiua (quæ, qua talis, ad intellectiue, qua intellectio, est) ad actionem, vel effectum physicum non est: ac proinde neque actiua physice est, neque proinde à suo actu, vel effectui diuersa realiter esse debet. Antecedens primum certissimum est. Etenim, si de conceptu essentiali intellectio, vt sic, & vniuersum sumptæ esset actionem, vel effectum physicum, ac proinde realiter à sua potentia diuersam esse; Deo proprie loquendo intellectio neganda contra Scripturam, & fidem necessario foret. Nec satis est hoc argumento euincere solum logicam potentiam supra à nobis impugnatam. Pro-

bat enim, etsi plusquam logica sit atque admittatur, actiuam & conceptu, & formalitate sua non esse: quare eiusdem realiter ad seipsum esse posse.

3. Huic rationi à priori, vt vim habeat, inniti debet argumentum illud Salmanticensium Recentiorum Thomistarum, quorum adhuc puerorum ingenium magni nobis, quasi ex diuinatione fuit, iam vero aduultorum, & doctum cunctis in plausu est. Nempe: licet intellectio nostra imbibat physicam egressionem, & receptionem ab intelligente, ac proinde physicam distinctionem ab illo, tamen datur absque his cum omni proprietate, & rigore intellectio in Deo: ergo licet potentia intellectiua dicat actiuitatem physicam in suum actum, creatam scilicet intellectiue, ac proinde distinctionem realem ab illa, dabitur cum omni proprietate, & rigore in Deo, licet sui actus actiua physice, & ab eo distincta non sit, sed ipsi potius realiter identificata. Ratio enim virtusque est: quia intellectio, qua talis vniuersum, & præcisè sumpta non dicit physicam à sua potentia egressionem, atque in ea receptionem: quare neque potentia physicam actiuitatem in illam: ac proinde neque ab illa physicam distinctionem. Vnde nec repugnat vtramque re ipsa identificari, atque in re physice inseparabili, & vniuersa (Deo nempe) vtrumque prædicatum potentie intellectiue, & intellectio in cum omni proprietate, & rigore reperiri.

4. Inde etiam constat ad præcipuum aduersariorum argumentum aperta, & expedita solutio: Negando, scilicet, potentiam intellectiuam (& idem de volitiua esto) dicere essentialiter physicam in suum actum actiuitatem, quare, & realem ab illo distinctionem, seu (vt Recentiores aiunt) posse augere per illum numerum rerum, quod actu identificato realiter cum sua potentia est factum impossibile. Constat enim ex ratione data assumptum hoc quouis modo explicatum de potentia intellectiua, seu volitiua, earumque actibus vniuersum falsum omnino esse: licet de specialibus potentis, & actibus eiusmodi creatis sit verum. Quanquam neque de his ita absolute verum sit, si in actione intellectio, & volitio creata continentur. De ratione enim actionis physice non est à sua potentia physica progressio, & distinctio, vt quæit. 2. ostendimus, sed solum termini, qui per illam progreditur realis à potentia distinctio: obiectione altera ex identitate etiam formali, & metaphysica essentie Dei cum scientia (ad quam necessario saltem metaphysicè debet potentia præcedere, cum tamen nihil adhuc metaphysicè essentiam Dei præcedere queat) constat assumptum de identitate etiam metaphysica, scientie, & essentie metaphysicæ Dei falsum proflus esse.

5. Tertia oppositio. Potest concipi viuens, & intelligens in actu sine ratione viuens in potentia, siue sine potentia. Idque nobilissimum genus viuens, & viuendi è suo conceptu est: ergo & diuinum: quare à Deo releganda potentia vitalis, & intellectiua erit. Respondetur negando maiorem. Nam eo ipso, quod concipitur intelligens actu, concipitur ex parte subiecti subiectum capax intelligendi: in quo implicite potentia deuoluitur intelligendi, & viuendi: quare falsum est ea ex parte antecedens. Quod si dicas: potest concipi intellectio, & vita actualis sine potentia, &c. distingo antecedens, siue potentia, pro eo signo metaphysico fateor: pro signo priori metaphysice saltem, nego. Est enim diuersa metaphysicè formalitas à potentia, cum sit essentia sua operatio vitalis, intentionalis saltem, quæ eadem metaphysica formalitas respectu sui esse nequit. Quoad secundam partem negatur etiam antecedens. Nobilius quippe viuendi, & vite genus est potentia, & actus vita, quam actus solius: cum potentia prædicatum nullam dicat imperfectionem, vt non dicere ostendimus proximè. Secundò, quia, vt cept. 3. ostendebamus, vita actualis sine potentia vitali chimærica est, atque impossibilis: quare imperfectissima.

6. Explicato antecedenti in bono sensu quo nos posset virgere, satisfecimus. In alio vero, ex quo virgeri non possumus (scilicet vitam actualem, excludendo vitam in potentia, quo excluditur actualis coniunctio cum actu) verissimum est. Sed inde contra nos nihil: cum potentiam intellectiuam Dei necessariò, & identicè semper coniunctam cum actu in Deo ponamus: nec Deum in potentia ad intelligendum vquam esse posse admittamus: quod optime docuit sepe Sanctus Thomas & 1. contra gent.

gent. cap. 28. (ex quibus locis contra nostram sententiam obici solet) negans in voluntate Dei potencialitatem: quasi (inquit) consideretur in potentia ad verumque: et primo sit volens, potentia, & postmodum actu volens: sed semper est actu volens quicquid vult, non solum in se, sed etiam circa creatura. Verbis autem aliis, quæ ex questione 41.1. part. articul. quarto, ad 3. à Recentioribus opponuntur, solum agit D. Thom. de potentia, prout principium physicum actuum est, dum eam in Deo respectu communis intellectus, & amoris negat. Ac solum secundum nostrum modum intelligendi, & significandi concedit, vt ex contextu patet. Rursus opponi posset, non dari ad processionem diuinam (quæ actus intellectus, & voluntatis sunt) potentias notionales, ne vltra quinarium numerum notiones excedant, si vltra processionem diuinam potentia notionales dantur: ergo neque respectu actuum communium scientiæ, & amoris. Sed antecedens est falsum, vt constat ex contr. de Trinit. d. 4. q. 1. ex eius vero opposito non inferri plures quinque notiones esse vidimus eadem contr. d. de notionibus diuinis, quod si inferretur idem etiam ex conceptu processionum inferretur. Denique permisso antecedenti negari consequentia poterat: quia ex ea illud absurdum non deduceretur, quod ex antecedenti deducebatur.

7. Denique opponit Aureolus, atque iudicio Recentium euidenter. Non minus est Deus idem re ipsa cum sua intellectione: quam intellectio nostra cum expressione obiecti, actioque, & vniò cum productione, & coniunctione: atqui ob eam identitatem horum non datur vera potentia in intellectione ad exprimendum obiectum, in ratione ad coniungendum extrema, aut in actione ad producendum: ergo neque in Deo ad intelligendum, seu intellectiorem. Respondetur negando minorem. Nam expressio obiecti, & intellectio, vniò, & coniunctio extremorum, actio, & productio effectus idem non solum realiter, sed formaliter sunt: ac proinde nonnisi ficta potentia in his ad illa mouera, seu actus esse possent. In Deo autem sunt formalitates, & predicata diuina, vt ostendimus, inter quæ sine ficto predicato aliquo, possumus distinguere metaphysicè initibus: Potentia hæc Dei ad intelligendum est potentia, vt sit realiter ipsa intellectio, seu idem cum ipsa intellectione: Hoc autem est potentia logica, cum Dei, tum ipsius intellectus: ergo non est potentia intellectiua à potentia logica differentem. Maior probatur: quia est potentia intelligendi identice, siue per intellectiorem secum identicam, non autem nonidenticam. Respondetur negando maiorem: Ad cuius probationem dicito: potentiam intellectiua non dicere, quatalem, physicam identitatem cum intellectione, neque illam negare, sed ab illa in suo formali conceptu præscindere; licet ex prædicato simplicitatis, quo omnis realis compositio à Deo excluditur, tam potentia, quam reliqua Dei prædicata dicant identitatem cum intellectione, & aliis: ad actum autem identitatis huius nulla in Deo datur vera, & realis potentia, sed logica, vt summum seu rationis quemadmodum, & relatio identitatis vnius cum alio rationis est: cum sit eiudem ad seipsum, quæ nonnisi rationis esse possent: vt disertè docet S. Thom. 1. part. qu. 28. art. 1. ad 2. Tandem dices: de conceptu potentia, maxime actus necessarij, esse, exigere actum: sed ad realem, & veram exigentiam requiritur inter exigens, & exactum vera distinctio, quæ non est in Deo respectu suæ intellectus: ergo nec vera potentia ad illam. Sed in primis actus omnis verus potiori iure exigit potentiam veram: quare hæc sublata respectu intellectus in Deo, & intellectio auferetur. Respondet: exigentiam propriissimè acceptam, seu physicam veram solummodo esse de conceptu veræ potentia, physicæ, non autem veræ potentia, vt sic, & intentionalis solum: licet exigentia minus propria pro connexionione metaphysica sit de eius conceptu: ad quam satis est vnum conceptum ab alio distinguere, metaphysicè atque ex illo inferri.

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.



QVÆSTIO II.

An potentia intellectiua (idem esto de volitiua) veram physicam, & absolute talem respectu sui actus prioritatem habeat?



DE M inquirimus, atque alij his terminis: an detur in Deo vera ratio actus primi respectu suæ intellectus, vel amoris? inquitur autem de vera prioritate, veroque actu primo. Nam de actu primo metaphysico statuta semel vera ratione intellectus potentia, à possibilitate, seu potentia logica intellectus diuersa, dubium esse nequit, quia potentia hæc in Deo metaphysicè præcedat. Sicut essentia metaphysica Dei ea etiam ratione præcedit attributa, eorumque metaphysica radix ab omnibus Theologis habetur. Ea vero potentia ab intellectione metaphysicè distincta admissa his adhuc esse potest, an inter eas vera aliqua, ac non pure metaphysica prioritas, & posterioritas intersit? vel physica absolute talis, de qua hic, vel physica, quam dicunt virtualis, de qua q. 3. vel intentionalis, vera tamen, vt docti Recentiores contendunt. In qua multum de nomine à perique certatur, vt videbimus q. 4.

CERTAMEN I.

Vera physica prioritas absolute talis potentia intellectiua communis respectu communis intellectus à Deo relegatur.

1. Conclusio est omnium nullo excepto, Theologorum licet enim distinguentes formaliter ex natura rei cum Scoto, vel realiter virtualiter inter diuina prædicata proportionatam suæ distinctionis modo potentiam vere productiuam physicè, seu physicè priorem, vel formalem ex natura rei, vel realem virtualem respectu intellectus, & amoris communis defendant, vt videbimus: alij sine addito, vel formalis ex natura rei, vel virtualis, nemo hæcenus potentiam intellectiua, aut volitiua physicè, & realiter suorum actuum actiuam, & priorem absolute esse asseruit. Ratio est perspicua: quia actiuitas, & prioritas physica vnius respectu alterius est actiuitas, seu prioritas causalitatis, vel originis: aut neutra harum actiuitatum, seu prioritatum inter potentiam intellectiua, aut volitiua Dei, earumque actus esse potest: ergo neque est actiuitas, prioritas realis, & physica earum potentiarum respectu suorum actuum. Minor (quæ sola probationem desiderat) facile ostenditur. Quia nihil sui ipsius actiuum realiter, seve ipso prius realiter, vel causalitate, vel origine esse potest (alioquin probandæ distinctionis personarum Trinitatis ratio nulla supererit: cum ea vnica sit ex prioritate originis, & processionis vnius personæ ab alia, nec alia à Conciliis, Patribus, & Theologis assignetur) atqui potentia eiusmodi absolute idem omnino physicè, & realiter cum suis actibus sunt: ergo neque eorum actiuæ physicæ, & realiter, eius absolute ita priores esse possunt. Secundo probatur: quia si absolute physicè à potentia, & virtute Dei actiua procederent: cum non procederent originaria, & propria personarum processionem, procederent causaliter: unde & essent creatura, atque non à potentia vitali intellectiua, seu volitiua (vt aduersa sententia adlueret) sed ab omnipotentia procederent.

2. Verum contra hanc catholicam, meque iudice, dogmaticam, conclusionem nonnulla ab autoritate, &